DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS GREENHOW,

VIRGINIENSIS;

SOCIET. PHYS. REG. EDIN. SOC. HON.

NECNON

SOCIET. AMERIC. PHYSIC. EDIN. SOC.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.



JACOBUS GREENHOW

PHILIPPO BARRAUD, M. D.

MEDENDI ARTEM GULIELMOBURGI IN VIRGINIA NON SINE INSIGNI LAUDE EXERCENTI,

S. P. D.

TOT tantaque ſunt, vir eximie, beneficia quæ in me, medicinæ ſtudium ingredientem, idque apud te, ingenuè contuliſti; ut hanc diſſertationem, exiguum grati animi ſignum, ſingularis tuæ erga me amicitiæ haud immemor, lubentiſſimus tibi dicem.

Ut peritiæ tuæ medicæ meritò ſemper credatur, ut civitati tuæ carus, et in magno pretio nunquam non ſis, a Deo optimo, maximoque, qui digna virtuti præmia ferre non ceſſat, ardentius exopto.

ITEM,

ITEM,

JACOBUS GREENHOW

FRATRI SUO AMANTISSIMO,

ROBERTO GREENHOW, ARMIGERO,

S.

TIBI quoque, carrissime frater, qui mihi benigni patris quem eheu! immaturè abstulit atra dies, vice semper functus fueris, has pagellas amoris fraterni, quem nulla unquam delebit oblivio, pignus sacrnm esse volo.

Vive.

CORRIGENDA.

In p. 11, l. 18, *pro* Hepetitide, *lege* Hepatitide
— p. 14, l. 1, — volutent, — volutant.
— p. 21, l. 11, — effecit, — efficit.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

J. GREENHOW, Auctore.

PROOEMIUM.

NIHIL mirabilius aut explanatu difficilius, quam miranda illa vis, qua ventriculus in totum corpus pollet: ad hoc enim, quod ventriculus princeps concoctionis, qua alimenta in pabulum mutantur, quo diversarum machinae animalis partium damna reficiuntur, organum existit, accedit nexus ventriculum inter et omnia fere organa, qui viribus vix, aut ne vix quidem minoribus in totam machinam agit.

Nexus hicce mirificus *ſympathia* vocatur: hinc pendet, quod plurimæ non ſolum diaeteticæ, ſed etiam pharmaceuticæ, ſupellectilis, res, effectus ſuos, cum primum in ventriculum recipiuntur, in remotiſſimas corporis partes diffundunt.

Hoc quidem organum vitio vel leviſſimo vix affici poteſt, quin turbam, cum omnibus machinae partibus communicet; ſanitate autem reduce, vivida vigoris vis longe lateque in totum corpus diffunditur. "Languido ventri-"culo, omnia languent, vigeto vigent."

Nec minus admiranda eſt *ſympathia*, quæ ſtomachum inter et alia corporis organa intercedit: pauci quidem exiſtunt, qui non obſervarunt, immanè quantum, cæteris machinæ organis laborantibus, ventriculus laborat: ut verbo expediam; nullo neque ad inſignem ejus ſentiendi vim, neque ad nexum univerſalem, pro-

bandum

bandum, argumento opus: utrumque experientia quotidiana docet.

Quanta vi ſtomachum in totum corpus agere veteres exiſtimarunt, ex ſequentibus Aretæi verbis patet: "Stomachus delectationis triſtitiæque princeps eſt *."

In hac diſputatione inaugurali de ventriculi morbo, qui dyſpepſia nuncupatur, quique ex magna ſignorum moleſtiſſimorum caterva haud parum ſæpe miſerando ægro, et amicis ejus, per longæ vitæ curriculum miſeriæ, et negotii faceſſente, conſtat, diſſerere ſtatuo.

Hic morbus nullius, neque ſexus, neque regionis, proprius exiſtit: Victimæ ejus rarius inter temperatos, qui parce et frugaliter vivunt, et idonea corporis exercitatione utuntur; plerumque vero inter homines voluptuarios et ſedentarios ſe oſtendunt.

* Vid. Aret. Cappad. De Caus. et Sig. Morb. Diutur. lib. ii. cap. vi.

DEFINITIO.

" Anorexia, nauſea, vomitus, inflatio, ructus, " ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia; pauciora " ſaltem vel plura horum ſimul concurrentia, " plerumque cum alvo adſtricta, et ſine alio " vel ventriculi ipſius, vel aliarum partium " morbo *."

HISTORIA.

Signa, quæ plerumque, morbo inchoato, vel non multum provecto, ſe oſtendunt, ſunt plerumque ſenſus ponderis ac moleſtiæ in ventriculi regione, poſt paſtum auctus; interdum vero ejuſdem, et inferioris œſophagi partis, calor, qui materiæ modo inſipidæ, ſæpius vero acidæ, ructu comitatur.

Æger

* Vid. Cullen. Synop. Noſol. Method. tom. ii. gen. xlv.

Æger cibum, more antea ſolito, præſertim inter jentandum non appetit; et cibi pars brevi poſtquam aſſumitur, in fauces naturâ acidâ, rancidâ, amarâ, vel putridâ, indutâ, redit.

Nonnulli ægri animalium ruminantium inſtar, cibum a ventriculo in os evocare poſſunt.

In nonnullis autem exemplis cibi appetentia præter naturam augetur. Sæpiſſime murmurant inteſtina, in quibus tanta nonnunquam aëris vis exiſtit, ut abdomen modo ultra molem naturalem diſtendat; modo ſurſum, deorſum, qua data porta, ruat.

Ventriculus et inteſtina ſpaſmo et doloribus torquentur: alvus eſt plerumque aſtricta, modo vero laxa. Æger interea languore afficitur, motum faſtidit, et priſtina hilaritas ac ſuavitas illi eripitur.

Morbo inveteraſcente, omnia ſigna memora-

ta

ta non modo ſæpius, ſed etiam gravius urgent; aliaque nova ſigna ſuccreſcunt; dolor enim ventriculi obtuſus et fere perpetuus ſentitur; nauſea et vomitus admodum frequentes evadunt; cibus faſtidium fert, vel nulla fere appetentiâ ſumitur; et minima tantum quantitate retineri poteſt. Æger vel minimas frigoris et caloris viciſſitudines facile percipit; et de artuum inferiorum frigore ſæpe conqueritur; jamque cætera ſigna haud raro ingraveſcunt. Capitis dolor ſæpe haud parum negotii faceſſit; et nonnunquam adſunt vertigo, palpitatio, ſingultus, tinnitus aurium, ſpirandi difficultas, tuſſis, doloreſque in variis corporis partibus, quæ hepatitidis vetuſtæ ſigna nonnunquam ſimulant *.

Cutis eſt ſicca et pallida, et aliquantulum flaveſcit, halituſque ejus haud parum minuitur: lingua ac fauces ſæpe arent et materia albida

obducuntur.

* Vid. Ferriar's Medical Hiſtories and Reflections, tom. ii. p. 27.

obducuntur. Saliva ſubinde majore ſolito copia manat: ſpiritus admodùm fœtet: urina eſt varia; modo colore rubicundiore; modo limpida, et magna copia reddita.

Pulſus eſt languidus ac debilis, et ſæpé leviſſimo corporis vel animi motu frequens et abnormis evadit.

His ſignis urgentibus, corpus paulatim macreſcit; magnaque debilitas, et mobilitas, adſunt; muſculi nativam ſuam firmitatem amittunt; æger a quavis exercitatione abhorret: hæc enim magnam defatigationem, palpitationem, ſpirandi difficultatem, et proclivitatem in animi deliquium, inducere ſolet.

Ægro noctes vigilantur amaræ; et ſi obdormiſcat, ſomnus eſt fugax, vel diris inſomniis turbatur; vel miſer ab incubone diluditur *.

* Vid. Whitt's Works, p. 625.

Facies pallida, collapſa, ac triſtis, ſpectaculum lugubre, verum animi, qui nunc graviſſime demittitur, indicem exhibens.

Æger pavidus ac tremebundus evadit; triſtemque rerum ſuarum, de quibus pene deſperat, ſtatum hallucinatus, omnes ſuas ægrotationes ultra modum exauget, pluresque quæ non exiſtunt, fingere ſolet, infauſtum ægrotationis exitum prædicit: illiſque ægritudinem imaginariam perſuadentibus graviter ſuccenſet: raro indulget hilaritati, quæ ſi forte illucet, fit plerumque nimia et fugax: porro eſt difficilis ac moroſus, et facile iraſcitur, et ut cel. Sydenham aſſerit, inconſtantia ſola ſibi conſtat *.

Dotes animi, præſertim memoria et judicium, quæ nunquam ſine moleſtia exercentur, haud parum minuuntur.

Hac utique ſunt ſigna, quæ dyſpepſiam inchoatam,

* Vid. Opera Sydenham.

choatam, progredientem, et inveteratam, conſtituunt: omnia autem ſigna rare eundem ægrotantem afficere, neque certo ſibi ordine ſuccedere obſervandum eſt.

Dyſpepſia curſum ſuum pedetentim abſolvit; et ſæpe nunquam ad ultimam ſuam inveterationem pervenit.

Multi, paucis tantum ex ſignis jam recenſitis, iiſque non admodum gravibus, et per totum vitæ curſum, ſanitate generali parum labefacta, perſtantibus, afficiuntur.

Quando morbus propria inveterationis ſuæ ſigna oſtendit, æger vitam miſerrimam agit, et lenta valetudine conficitur.

Citius autem aut ſerius, anaſarca aut aſcites ſupervenit; et nonnunquam viſcerum obſtructio, febris *hectica*, et alvi proluvies, quæ miſerando animam extinguunt.

DIAGNOSIS.

Signa ad dyſpepſiam pertinentia aliis morbis ſuperveniunt: neque, niſi morbo primario ſublato, ſanari poſſunt. Indicia igitur, quibus dyſpepſia *ſymptomatica* ab ideopathica dignoſcatur tradenda ſunt.

Morbi, quibus dyſpepſia ob ſimilitudinem confundi poteſt, ſunt *Podagra atonica*, *hepatitis vetuſta*, *amenorrhoea*, *ſchirrus pylori.*

Podagra Atonica. Animum ad ſequentia advertendo cognoſci poteſt, num hæc adſit. Si ægrotantes fuerint mares, annos plus triginta quinque, ex parentibus podagricis nati; ſi pedes antea podagroſi fuerint, ſi dyſpepſia ſigna ſubito accedunt, et ſubito recedunt, podagra cauſa agnoſcenda eſt.

Cum

Cum affectio primaria diu perstiterit, dyspepsia a podagra nullo fere negotio dignoscitur.

Hepatitis vetusta Dyspepsiæ signis admodum sæpe comitatur, quæ, ob magnam *obscuritatem*, qua hepatitidis vetustæ indices involvuntur, sæpius pro dyspepsia primaria habentur *.

Contra, dyspepsiæ idiopathicæ signa adeo nonnunquam hepatitidis vetustæ indicia simulant; ut medicos aliquamdiu falsos habuerint. Professor noster Hope dyspepsiæ casum narrat, quam clinicus hepatitiden vetustam ratus hydrargyro tractabat †: hinc limites inter hos morbos ponere, si fieri quidem potest, res maximi momenti est.

Saunders, quibus hepar afficitur, his dolorem haud levem in partibus scrobiculo cordis vicinis,

* Saunders on the Liver, necnon Lachl. Maclean Tentam. Med. Inaug. de Hepetitide.

† Aud. Prælect. Clinic.

nis, et epigaſtrio, plus minus preſſis, ſentiri, et morbo progrediente, calorem auctum et pulſus arteriarum celeres, aliaque febris indicia præſertim ſub noctem obſervari, refert *. Porro num æger peregrinatus fuerit in calidis terræ plagis, in quibus hepatitis potiſſimum viget, inquirendum erit.

In dyſpepſia inſuper dolorem, qui illum ex hepatis affectione oriundum mentitur, non adeo eſſe fixum ſedemque ſuam ſemper mutare, vel prorſus, erumpente aëre evaneſcere, obſervatum eſt.

Amenorrhœa. Menſes vel ſolito parciores vel non omnino fluentes ventriculi ægritudinem prægreſſi harum affectionum diſcrimina digito quaſi indicant.

Hypochondriaſis. Num hæc et dyſpepſia eſſentia quid diverſæ ſint, acriter diſputatum eſt.

CULLENUS

* Vid. Saunders on the Liver.

Cullenus eaſdem aliqua diſtare credebat; hincque ad diverſa genera in Noſologia ſua Methodica retulit. Hoc potiſſimum ideo fecit, quod diverſa temperamenta adoriuntur; quod in illa animus gravius quam in hac affici ſolet, et quod remedia quædem quæ illi proſunt, huic obſunt.

Negari autem non poteſt, quin cauſæ eædem exiſtant, et ſigna parum, magnitudine ſola, diſcrepent.

Et ſane in omni morbo, habitus corporis diverſitas ſignorum diverſitati anſam præbebit, quod quidem ſignorum diſcrimen remedia plus minus pro rata differentia diverſa poſtulabit.

Minime mirandum eſt juniores, et temperamento ſanguineo præditos, minus detrimenti, ventriculo turbato, capere, quam ætate provectos et melancholicos, qui taciturni, ac meditabundi, exiſtunt, quique eandem rem diu animo

ſecum

ſecum volutent; et hinc conſequens eſt, rebus ſuis adverſis immorantur magis, et quaſi incubant. Denique morbus cui nomen hypochondriaſis, iiſdem fere, quibus dyſpepſia, remediis tollitur.

Schirrus Pylori. In hoc malo alimentorum concoctio multo pejus perficitur, magnus ventriculi ardor, cum ructu admodum acido, vehemenſque pylori dolor, preſſu auctus ſæpe ſentiuntur. Pylori tumor, cum vomitu frequente, febre *hectica* et nonnunquam materiâ ſanguinolentâ, vel pure ſurſum deorſum rejecta.

CAUSÆ.

Nexus qui ventriculo cum aliis corporis partibus intercedit, dyſpepſiæ cauſas valde exauget; morbus enim non ſolum has res, quæ in ipſum ventriculum agunt, ſed etiam illas, quæ effectus ſuos in alias corporis partes primitus

edunt,

edunt, et inde cum ventriculo communicant, cauſas ſuas agnoſcit.

Harum cauſarum præcipuæ ſunt; opium, potiones meraciores, amara, aromata, aſtringentia, thea, coffea, nicotiana, ingluvies, vomitio frequens, diæta parca, vita ſedentaria, ſtudium intenſum, violentiores animi effectus, nimia venus, vigilia nimia, aër frigidus et humidus corpori haud exercitato admotus.

Opium, potiones meracioves, amara, et aſtringentia. Quicquid ex modico horum medicamentorum uſu boni provenerit; ex nimia vel diutius juſto eorundem adminiſtratione continuata, ventriculum alimentis ſolvendis imparem fieri, motumque canalis alimentarii periſtalticum torpere, et totum corpus infirmari, plus ſatis experientia conſtat.

Nimius theæ, aut coffeæ meracioris, usus eundum effectum plus minus edit: et aliis cauſis

adjutus ad morbum concitandum confpirat; harum enim potionum calor, cæterarum potionum tepidarum, præfertim ex fpiritu vini conflatarum, inftar, vires deletrices auget.

Nicotianæ ufus alimentum faliva, quæ ad eadem folvenda facit, fpoliando agere videtur.

Ingluvies mufculorum ventriculi, hunc ultra modum diftendendo, vires minuit, torporem, aut paralyfin plus minus infert.

Vomitio frequens. Ventriculus inter vomendum non folum fuis, fed etiam abdominis mufculis valide agitatur; quæ quidem violentior mufculorum actio ventriculi vires brevi convellit.

Diæta parca Plebeculæ, quæ improbo labore infirmatur, cuique cibi idonei copia viribus deficientibus reficiendis par non fuppetit, dyfpepfiam nonnunquam excitat.

Vita

Vita ſedentaria, et *ſtudium intenſum*. Quantum juſtus functionum uſus ad ſanitatem confert, inter omnes conſtat; nec minus patet, quanta vi juſto minor earundem actio in totius corporis et præſertim ventriculi, debilitate efficienda, pollet. Vita ſedentaria, ſtudio intenſo comite, effectus adhuc majores edit.

Ventriculus primitus ex mentis perturbatione pati videtur. Tiſſot opinatur: "The "more intenſely any man thinks, and the "more powerfully he exerts the powers of his "mind, the more ſlowly and with the greater "difficulty (cæteris paribus) does he digeſt his "food: and, on the other hand, the freer a "man's mind is from reflection, the more "readily, and the better does he digeſt his "food *."

Affectus animi vehementiones. Inter hos animi dolor, et anxietas cauſæ dyſpepſiæ frequentiſſimæ

* Vid. Tiſſot on the Diſeaſes of Literary and Sedentary Perſons.

tiſſimæ exiſtunt: neminem latet, quam cito, quantaque vi cibi appetentiam reprimunt; et pene delent; hinc ſi ſatis diu agunt, cauſæ morbo excitando minime impares exiſtunt.

Venus nimia totum corpus, et ventriculum præſertim ſolvit: WITHERS eandem pro cauſa frequentiſſima et potentiſſima habet *.

Corpus haud exercitatum frigori objectum. Calor corporis non exercitati ambientis aëris frigore brevi aufertur: corpore autem exercitato, caloris generatio eſt major; et quamprimum calorici pars avolat, nova quantitas pro rata partis ablatæ portione ſuppeditatur. Humor frigore conjunctus majore adhuc vi pollet: hinc qui a ventriculo laborant, cœlo humido et frigido pejus ſe habere ſolent. Quæratur forſan, quare ventriculus, corporis extremi calore minuto, male ſe habet; hoc ex conſenſu, qui ventriculo cum toto corpore intercedit, pendere reſponderi poteſt.

CAUSA

* Whithe rs on Chronic Weakneſs.

CAUSA PROXIMA.

Ex periculis plurium clariſſimorum philoſophorum, ſuccum quendam ventriculo ſecretum primariam alimentorum concoctionis cauſam exiſtere, jam inter omnes fere medicos convenit; operandi autem modus caligine involvitur; elementa enim, aut dotes, quibus effectui adeo mirifico præſtando par eſt, chymia nondum detexit.

Quando concoctionis proceſſus imperfectus eſt, hoc vitium alicui ſucci gaſtrici mutationi tribuendum videtur: hæc mutatio é vaſorum ventriculi ſecernentium debilitate, cauſarum remotarum opere effecta, pendere videtur: eadem debilitas, ut opinor, vel liquoris gaſtrici quantitatis imminutæ, vel ſolitarum virium ejuſdem ſolventium minutarum, cauſa exiſtere poteſt.

Ingeniofus Wilson, experimentis quibufdam in fe ipfo dyfpepfia laborante factis, quantitatem fucci gaftrici imminutam folam exiftere caufam confecit*: quamvis autem hoc cafui ejus competere concedatur; inde tamen virium folventium defectum in aliis ægris caufam non exiftere minime colligi poteft.

Num liquor gaftricus tantas unquam mutationes fubeat, ut quædam ex principiis, unde naturaliter conftat, defint, dubitari poteft.

Præter caufas jam recenfitas, ventriculi mufculorum debilitas pro parte caufæ utique habenda videtur; hi enim mufculi viribus integri alimenta et liquorem gaftricum agitant, mifcent, efficiuntque, ut eorundem particulæ propius ad fe invicem accedant; et alimentum jam folutum ad pylorum pellunt. fi igitur hi mufculi officio fuo non rite fungantur, liquor gaftricus in alimenta non adeo perfecte agere poteft: hinc alimenta diutius in ventriculo retinentur;

* Vid. Wilfon Differt. Inaug. de Dyfpep.

nentur; et hinc fermentationem ſubeunt; quæ, ut inter omnes fere medicos conſtat, ſalutari alimentorum concoctioni repugnat.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

Anorexia, *nauſea*, *et vomitus*, a quantitate vel viribus ſucci gaſtrici imminutis, vel a mobilitate ventriculi aucta, vel a cruditatis irritatione oriri videntur.

Inflatio et ructus. Cibus vel ob moram ejus in ventriculo, vel ob ſucci gaſtrici vitium, in acorem ruit: hinc aër, qui vel ventriculum diſtendit, vel inter erumpendum ructum effecit, gignitur.

Ruminatio. Propter cauſas jam memoratas alimenta eaſdem fere mutationes patiuntur, quas extra corpus poſita ſubirent; hinc acida, amara putrida, vel rancida fiunt; indeque inverſam

verſam ventriculi et œſophagi actionem excitant, qua ſic mutata in os revocantur.

Cardialgia eſt caloris aut moleſtiæ ſenſus, qui ex acido in ventriculo exiſtente plerumque oritur.

Gaſtrodynia, vel dolor, ex ventriculi ſpaſmis oriundus, ex aëre eundem diſtendente, et nonnunquam ex cruditatum acrimonia pendet.

Alvi durities, ex motus *periſtaltici* torpore oritur; proluvies ejuſdem exorta pendet ex acrimonia rerum, quæ in canale alimentario exiſtunt. Aucta cibi appetentia, quæ nonnunquam ſupervenit, acido in ſtomacho exiſtenti tribuenda videtur.

Dolor capitis, *vertigo*, *tinnitus aurium.* Ex principio bene cognito, nexu nimirum ventriculum inter et caput exiſtenti ſolo exponi poteſt.

Dyſpnea

Dyſpnea, *tuſſis*, *ſingultus*, *palpitatio*. Ut horum ſignorum ratio reddatur, ad nexum ventriculum inter et pulmonem et cor confugiendum eſt.

Mœſtitiam et metum ex nexu animum inter et ventriculum pendere ſatis manifeſtum eſt.

PROGNOSIS.

Hic morbus licet plerumque lentus raro funeſte terminatur. Si æger juvenis et temperamento ſanguineo præditus fuerit; nec cauſæ, neque morbus diutius perſtiterint, bonum augurandum; modò medendi ratio poſt hoc memoranda obſervata fuerit: ſin autem æger ætate provectus, et temperamento melancholico præditus fuerit, cauſæque per longum tempus egerint, et morbus longius progreſſus fuerit, malum prædicendum; ſaltem ſanitatem vix ſperare licet.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Medicorum conatus morbo radicitus ſanando haud raro impares evadunt, vel ob repugnantiam, qua ægri ad cauſas morbi relinquendas, vel regulas medendi præſcriptas obſervandas, adducuntur. In cauſis enim evitandis princeps rei cardo vertitur ; hac re neglecta, medicina fruſtra tentatur.

Ebrioſo autem, quamlibet opus arduum et difficile, cantharo ſuo valedicendum : helluoni, Epicuri de grege porco, a genio ſuo nimis indulgendo temperandum : ſtudioſo animus recreandus, ſedentario corpus exercendum. Ne diutius teneam; omnes cauſæ ſedulo vitandæ ſunt.

Cauſis evitatis, duo adhuc medendi conſilia ſuperſunt. 1*mo*, Sublatio nimirum ſignorum, quæ

ad morbum aſperandum et perpetuandum præcipue conferunt: 2*do*, Virium ventriculi reſtitutio.

Prius vero quam de his agemus, quædam præcepta diætetica, quæ ad curationem haud parum faciunt, tradenda ſunt.

Si æger cibis laute conditis aſſueſcat, hi paulatim ſubducendi ſunt; ventriculus enim ſubita cujuſvis cibi, cui diu aſſuetus fuerit, immutatione langueſcere et male ſe habere ſolet. In omni exemplo is debet eſſe cibus, qui facillime concoquatur; in hunc finem, generis peculiaris, et certo modo coctus, fuerit oportebit.

Cujuſvis generis fruges, ob præcipitem in fermentationem proclivitatem, in hoc morbo parum idoneæ ſunt: ſi autem aſſumantur, eæ eſſe debent, quæ minus in acorem vergunt, quaſque æger expertus optime convenire noverit: ita igne, aliove modo concoquendæ ſunt, ut leves

et texturæ laxioris fiant. Juniorum animalium carnes, quam ætate provectiorum, difficilius digeruntur; quod naturæ illorum glutinosiori tribuitur. Quo minore arte coquuntur carnes, eo facilius solvuntur: hinc caro simpliciter cocta, sive elixa, sive assa, plerumque anteponenda est. Quæ fumo, aut muria, indurantur, carnes, eæ difficilius ventriculo subiguntur: olea ægre solvuntur: hinc caro, cæteræque res omnes, quæ multum olei habent, fugiendæ sunt.

Saunders juscula ex carnibus parata solutu difficilia opinatur; super hac re hæc habet verba: "I am persuaded, that the stomach digests "solid aliment more easily than liquid, and "bulky food; and that soups and broths are "more quickly disposed to run into fermenta-"tion *." Quibus autem ventriculus vix aliquid retinere potest, his lac cum bono exitu datum fuit.

Quicquid

* Vid. Saunders on the Liver.

Quicquid autem de cibi delectu dicatur, fatendum eſt nullam diætæ ſpeciem exiſtere, quæ conſtanter facilis aut difficilis ſolutu jure haberi poteſt; eadem enim eſculenta aliis, vel eiſdem aliàs, effectus plane contrarios præſtare ſolent. "Difficile vero eſt præcepta ulla certa "aut fixa dare de re adeo incerta ut facultas "concoctionis alimentorum, quæque a tot variis "rebus pendet, imprimis autem a conſtitutione "ægri, et ſtatu præſenti ventriculi, et natura "morbi, et vi conſuetudinis, et vitæ genere "quam ille degit, ejuſque interdum faſtidio et "repugnantia, vel cupiditate aut amore quorundam ciborum *." Concoctionis facultas pendet multum ex modo, quo cibus aſſumitur: parva cibi copia ſolito frequentius, pluſquam largior juſto rariùs ſumpta, prodeſſe ſolet. Alimentorum farrago nocet. Variæ eſculentorum ſpecies ſimul devoratæ ventriculo plus damni, quam par cujuſvis horum copia inferre ſolet †.

 Qui

* Vid. Gregor. Conſpect. Medic. Theoret. tom. 2. p. 50.
† Vid. Opera Sydenham.

Qui diu morbo laborant, hi cibum ſuum adeo imperfectè concoquunt, ut aromatum auxilio indigeant : hæc autem quam parciſſime utenda ſunt.

In pleriſque hujus morbi exemplis potus aqua mera eſſe debet. Qui autem potionibus meracioribus multum aſſueti fuerint, his pauxillum aqua multa dilutum concedi debet. Ex vinis, rubrum Luſitanum et Madeirenſe cæteris omnibus longe præſtant. Liquores e *byne* præparati in fermentationem procliviores exiſtunt ; hinc omnes, ſi fortis illa cereviſia Londineſis, *Porter* dicta, excipiatur, quæ ventriculi cruditate laborantibus imprimis utilis eſſe ſolet, parum idonei ſunt.

PRIMUM MEDENDI CONSILIUM.

Signa, quæ hoc conſilium abſolvendo curantur, præ cæteris notabilia exiſtunt ; et quamvis nullo

nullo admodum gravi periculo comitantur, ob dolorem tamen et moleſtiam, quos cient, præſens ſolatium poſtulant.

Anorexia et *nauſea*, ut ſupra diximus, ventriculi ſordibus tribuendæ ſunt: hinc medicamenta vomitoria eaſdem evacuandi conſilio plerumque adhiberi ſolent: horumque mitiſſima, infuſum nimirum chamæmeli florum, ſinapis, ipecacuanhæ, &c. anteponenda ſunt. Doctor Wilson vomitione ſæpius uſus, ejuſdem iterationem poſtridie æque neceſſariam comperiſſe ſe refert *. Si vomitio igitur, quoties ſigna recrudeſcunt, adhibeatur, fieri non poteſt, quin malum, modo ſupra dicto, adaugeat. Omnia fere vomitionis commoda ex uſu catharticorum leniorum, qualia ſunt rheum, magneſia, pilulæ alœticæ, electuarium ſennæ, percipi poſſe mihi videtur.

Vomitio, Hauſtu efferveſcente, aqua menthæ, et

* Vid. Wilſon. Diſſert. Inaug. de Dyſpep.

et opio, consopienda est: si eadem ventriculus respuat, opium *enematis* forma administrari debet.

Cardialgia, ex ventriculi acore pendens, est signum in primis molestum, nec raro multum negotii facessit. Eidem plerumque occurri potest, vitando cibum acescentem, qualisve in acorem proclivis fit. Acidum autem existens salibus *alkalinis*, vel terris absorbentibus, corrigi potest: ex his præparata optima sunt magnesia usta, et potio cretacea; hanc autem, alvo laxa, illam vero, eadem astricta, exhibendam observari debet. Porro acidum medicamentis diluentibus, et demulcentibus, aqua nimirum pura, vel potu mucoso obtundi potest.

Gastrodynia et dolores etiam colici medicamentis *carminativis* dictis, oleo nimirum anisi, aut menthæ; citius autem *antispasmodicis*, opio scilicet, æthere sulphurico, tollenda sunt. Inter ætherem administrandum, ne dosibus justo majoribus,

joribus, quippe quæ dolorem nonnunquam auget, aſſumatur, cura adhibenda. Quando ſigna his remediis non cedunt: fomenta calida abdomini admota idonea ſunt.

Alvi duritie ſublatâ, ſignorum moleſtiorum pluribus occurri poteſt; huic conſilio cathartica mitiora, qualia ſunt magneſia, rheum, pilulæ alœticæ, optime reſpondebunt.

CONSILIUM SECUNDUM.

Ad ſecundum jam medendi conſilium, virium ſcilicet ventriculi reſtitutionem, quod perficitur medicamentis roborantibus, quæ rectà in ventriculum ipſum, vel in totum corpus agunt, devenimus; inter illa eminent amara et aromata.

Ante vero quam ulterius progrediamur; amara et aromata, licet morbum inchoatum

cito

cito levant, diu tamen adhibita morbum robuſtiorem nunquam non reddere, obſervandum eſt.

Cùm autem modica copia, et cautà manu exhibentur, effectus bonos et permanentes præſtare ſolent. Colombo et gentianæ radices, et chamæmeli flores, cæteris amaris diu anteponi ſolebant. Profeſſor Hope chamæmeli florum extractum cum ferro conjunctum remedium valde efficax comperit *.

Inter aromata maximi fiunt cinnamomi cortex, et canella alba: iſtuc datum eſt aurantio, ut cortex ejus dotibus amaris et aromaticis præditus ſit. Inter tonica vero ex frugibus derivata primum locum tenet cinchona, forma pulveris, infuſi, extracti, quâviſve aliâ, quæ ventriculo magis arrideat, adminiſtrata: quibuſdam ægris, nulla forma convenit. Hîc ad alia tonica confugiendum.

Omnium

* Aud. Prælect. Clinic.

Omnium vero tonicorum maximo pretio et honore habentur quædam ex ferro præparata, tinctura nimirum ferri et rubigo, et ferrum vitriolatum: horum effectus, amaris aut aromaticis additis, haud parum adjuvantur. In aquis ferratis naturalibus ferri copiam cuivis effectui insigni præstando parem chymia non detexit. Quicquid boni inde percipitur, id aquis ventriculi cruditatem diluentibus, vel hoc viscus quasi abluentibus, fere omne tribuendum videtur.

Acidum sulphuricum dilutum omnium tonicorum quæ adhiberi solent inter præstantissima merito habetur.

Aqua picea, acidum nimirum *pyrolignicum* magni olim in hoc morbo facta, in desuetudinem abiit. *Aqua alkalina aërata* cum fructu adhibita fuit. *Aqua calcis* nulla insigni vi tonica pollet.

Hoc malo laborantibus physici quidam inge-

niosi succum gastricum carnivororum animalium exhibendum proposuerunt; concesso autem, sufficientem hujus liquoris copiam parari posse; cibo, dum hic succus in ventriculo maneret, solvendo solum inserviret: minime vero ad vasa hujus visceris secernentia roboranda faceret.

Tonicis, quorum vires in totum corpus pollent, multo magis quam his jam memoratis, fidendum est; et summam attentionem merentur.

Exercitatio. Æger sedulo monendus salutem fere nullam, illa neglecta, esse sperandam; cætera tonica pro exercitationis auxiliis tantum habenda sunt. Exercitatio vasa torpida et musculos excitat, eorundemque vires restituit; cutis halitum, et cibi digestionem promovet; animumque hilarem et fortem reddit. Cura autem adhibenda, ut exercitatio ægri viribus

par

par ſit, neque unquam ad defatigationem uſque intendatur.

Quando ambulatio adhiberi poteſt, cæteris omnibus longe præſtat; ſi ægri autem vires labaſcunt, geſtatio anteponenda eſt. Omniumque hujus generis, equitatio, quippe qua corpus propriis viribus magis exercetur, geſtationi in curru anteferenda eſt.

Quando hæ exercitationes, quo par eſt gradu, adhiberi non poſſunt, ad frictionem, quæ etiam una cum his uſurpari poteſt, confugiendum erit.

Cum ventriculi cruditate laborantes ſubita quavis cœli mutatione, et præſertim aëre humido facillime afficiuntur, ad cœlum æquabilius ſiccius et temperatius, ſi fieri poteſt migrare debebunt: Quando hoc fieri nequit, corpora ipſorum ab aëris intemperie induſiis laneis defendenda ſunt.

Aër purus ac frigidulus ad totum corpus aſtringendum ac roborandum confert: contra aër calidus, aut interceptus, corpus laxat et ſolvit.

Balneum frigidum. De viribus, quibus hoc remedium in toto corpore roborando pollet longa experientia conſtat: haud raro tamen, imperite adhibitum, eidem parum prodeſt, immo etiam obeſt.

Frigidarii temperies viribus, cæteriſque ægri propriis, temperanda eſt. Hoc conſilio, cum primum adhibetur; calor major eſſe debet, paulatim, prout æger eidem aſſueverit, minuendus. Nonnunquam evenit, ut balneum frigidum, cum primum uſurpatur, ægro parum congruat; uſu autem idem ſolita ſua commoda adfert.

Gas oxygenium dilutum. Effectus, quos hoc remedium inſpiratum edit, uſum ejuſdem in hoc

malo

malo ſuggeſſit. Nec parum profuit, ut ex quibuſdam caſibus nuper editis conſtat. Uſus ejus arteriarum pulſus frequentiores ac validiores reddit, calorem levem ac gratum in totum corpus, coloremque floridum in cutem, diffundit: animumque inſigniter exhilarat*.

Ad animi mœſtitiam, quæ adeo hujus morbi curationi obſtat, ſumma cura incumbendum eſt. Omnia denique annitenda, quæ ægri animum a malo, ad quamvis aliam rem avertendum faciunt, qualia ſunt hilaritas, luſuſque qui animum occupant, ſtudia leviora, negotia quæ modicam tum animi tum corporis excercitationem poſtulant; ea autem non eſſe debent, quæ animo ægritudinem aut mœſtitiam concitant; peregrinatio, cœlo ſereno, multaque alia, de quibus adeo conſtat, ut enumeratione opus non ſit, ſæpe profuerunt.

* Vid. Beddoes on Factitious Airs.

